

Georg Rithaimer¹⁾ an Vadian.

Wien. 1521. Januar 26.

Freude über die Vertreibung der früheren Regenten. Streit mit Tannstetter im Urtheil über König Karl. Grüße von Bekannten.

Commendo me tuę Dominationi. Ignosce brevitati literarum mearum; nam dum illa scriberem, fui bene ebrius, quod ampliter instruebam convivium ob eiectos veteres regentes. Provinciales enim nostri mirifice triumphant; nam pro voto consecuti sunt omnia. Veteres illi regentes amoti ad unum omnes sunt a magistratu suo et turpiter eiecti his pro-

ximis diebus etiam consensu principis Karoli, quam rem serio triumpho; quę res molestissima est ipsi Tainstetter, duci, nomine, tum quod sibi delusus videtur, tum quod nostrum aliqui hominem traducimus. Si quidem nostro unquam constantius constans fuit quam ego in defendendis nostratibus; ipse autem vacillabat nunc in illam nunc aliam partem, tanquam aliquis ambiguus amicus. Unum Excellentiam tuam scire volo, quod fortasse non iniucundum tibi erit. Cum Tainstetter amplo ore (ut solet) Karolum regem extolleret eumque cunctis principibus totius orbis anteponeret, ego, Ursinus, Victor, Abhauser, Mocius²⁾ (X), Simon Lacius et reliqui gregis Epicuræorum^{a)} porci retundere pro virili nostra tantas laudes conati sumus ac non tanti eum esse, quanti creditur, imprimisque culpabamus, quod sese totum in potestatem turpissimi hominis cuiuspiam tradidisset, cui nomen Tscheffer, id quod dicitur. Huius arbitrato enim in aula principis fiunt, quęcunque fiunt omnia. Subito invasit me poeticus quidam furor atque ex tripode Apollinis deprompsi hunc versiculum, quem et recitavi:

Cęsar in orbe sonat

Tscheffer in orbe tonat,

quę res ita concitavit hominem, ut iam parum aberat, ne res inter nos ad manum veniret. Sic est perpetua quędam inter nos concordia discors neque persuaderi possum, ut credam in utriusque nostrum genesi horoscopantia sidera^{b)} per commutationem anguli orientalis et decimi (quę res creditur glutinare amicitias^{c)}) irradiasse.

Ursinus, Tainstetter, Victor, omnes tibi bene cupiunt. Prolixius tecum agam, ubi crapulam edormiscam. Vale multum cum uxore tua et liberis, si quos. Ex Vienna, vigesima sexta die Ianuarii 1521.

Magister Georgius Rithaymer.

Clarissimo viro Ioachymo Vadiano, artium et medicinę doctori, amico meo singulari.

a) „-eor-“ für „-æor-“. — b) „sydera“. — c) „-cias“ für „-tias“.

1) Vrgl. II, Brief 177. — 2) Ein Konrad Motz wird im Jahre 1514 als Procurator der rheinischen Nation genannt; vrgl. Aschbach II, 457.